



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 26. Circa Missæ stipendium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

Missarum ex aequitate, seu iustitiâ minuitur, quæ non patitur, vt Sacerdos gerat gratis, aut minores pretio, quod faciendum sub stipendio iusto suscipit: & in hoc non requiritur Pontificis aut Principis potestas: sed quisque potest in suo contractu iustitiæ medium à contrahentibus intentum seruare; nec hoc est testatoris commutare voluntatem, sed iuxta ipsius mentem operari, qui noluit, aut gratis, aut stipendio cogere Sacerdotem ad celebrandum, cum ab initio congruam stipem designauerit: alioquin eius voluntas esset iniusta, quæ seruari non debet.



CAPVT XXVII.

Circa necessarium Missæ Ministrum.

PROBL. CL.

Sufficit, & non sufficit vnus Missæ Minister.

Non sufficit. Quia ita videtur decreuisse Anacletus Pontifex Episcopus. 1. & Soter cap. Hoc quoque, de consecrat. dist. 1. iussit, vt nullus Presbyter Missarum solemniam celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibi que respondentibus ipse rectus habeatur. Nam cum pluraliter ab eo dicatur, Dominus vobiscum, & Orate Fratres, apertissime conuenit, vt ipsius salutationi per duos saltem respondeatur. Adde, Sacerdotem sæpe pluraliter populum alloqui fatum: Benedicat vos Omnipotens Deus: Misereatur vestri: Vobis fratres. Sic Hugo Victor, relatus ab Azor. 10. 1. 1. 10. c. 23. q. 1.

Vnus sufficit. Quia Pontifices locuti sunt de Missis solemnibus, vel etiam de Missis priuatis, quibus olim ob paucitatem Sacerdotum poterant facile bini ministrare. Postea vero ob maiorem Sacerdotum numerum, & maiorem frequentem celebrandi obligationem, vbi vix reperitur vnus aptus minister, vbi in hac parte veteri Canon derogauit. Ita D. Tho. 3. p. q. 83. a. 5. ad 12. Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 5. Bellarm. 1. 2. de Missâ. c. 9. Henric. 1. 9. c. 30. n. 1. Coninch. q. 83. n. 264. Laym. d. 5. ar. 5. c. 6. n. 13. Fagund. præc. 1. 13. c. 21. n. 1.

Certum est, vnum iane Ministrum sufficere, qui quidem nomine Ecclesiæ responderet. Vnde Sacerdos pluraliter loquitur, quoniam loquitur Ecclesiæ cuius nomine minister etiam pluraliter responderet: Habemus ad Dominum. Itaque distinguimus de Missâ solemnibus, quæ cum Diacono, Subdiacono, ac Acolythis celebrantur: & de Missâ priuata, quæ sine tali dicitur apparatu. In Missâ solemnibus plures ministri requiruntur, nam in hoc eius solemnitas consistit. In Missis priuatis vnum sufficere communis testatur usus.

PROBL. CLI.

Præceptum adhibendi saltem vnum Ministrum ad Missam celebrandam habetur, & non habetur ex iure.

Non habetur ex iure, sed ex solâ Ecclesiastica consuetudine. Quia nullus ius id præscribens reperitur. Sic Suar. d. 87. sect. 1.

Habetur ex iure. Quia c. Proposuit. de fil. Presby. dixit Alexander III. non posse solum Presbyterum Missarum solemniam sine Ministris suffragio celebrare. Ita Auerla. q. 11. sect. 9. Potest addi Concilium Mogunt. 1. c. 43. dicens: Nullus Presbyter solus Missam rectè valet cantare. Quomodo enim dicit, Dominus vobiscum, vel sursum corda monebit habere, & alia multa his similia profabitur, cum alius nemo cum illo sit.

Dixerim tamen cum Card. de Lug. d. 20. n. 103. præceptum hoc magis ex consuetudine, quam ex iure expresso colligi. Nam illud c. Proposuit, & Concil. Moguntinum loqui videtur de Missâ solemnibus: & quamvis ratio Concilij communis etiam sit Missis priuatis, cum Conciliū Provinciale sit, non potuit totam Ecclesiam obligare.

PROBL. CLII.

Licet, & non licet, aliquando sine Ministro celebrare.

Absolutè licet sine Ministro Missæ dare operam. Quia sic gesserit Diuinus inter, dum in desertis & speluncis, præsertim in persecutionibus per cryptas, domosque priuatas. Sic Gloss. in cap. Hoc quoque de consecrat. dist. 1. Nauar. in Consil. 1. 1. tit. de corpor. viuiatis, conf. 6. Zerol. in præxi Episc. p. 2. v. Missa §. 3. Et Laym. l. 5. ar. 5. cap. 6. n. 13. ait: In quibusdam locis apud nos consuetudo viget, quæ ab Episcopis toleratur, idè quæ damnari non potest, vt Sacerdotes, præsertim in pagis sine Ministro respondente celebrent. Consonat Sa. v. Missa, n. 18. status: Potest quis, si desit Minister, ipse sibi respondere. Scio Sa. correctum contrarium asserere. Sed correctoris hæc non Manuclis opinio.

Non licet, sine Ministro celebrare. Quia violatur Missalis præscriptio, Ecclesiæque consuetudo. Quare cum in re graui sit violatio, grauis licet, erit transgressio. Ita Barth. ab Angelo dial. 5. n. 408. Bonac. d. 4. q. vlt. p. 9. n. 34. Franc. Anton. l. 1. de Missâ. c. 17. Moure p. 3. c. 5. §. 4. n. 6. Auerla q. 11. sect. 9.

Si absolutè loquamur, nullus me actore, dissentiet. At urgente graui necessitate asseruerim licitum esse, sine Ministro celebrare. Quia præceptum Ecclesiasticum, & Ecclesiæ consuetudo non videntur ad casum grauius necessitatis extendi, præsertim si tunc vigeret aliud præceptum celebrandi opposito præualens. Censent autem Doctores adesse sufficientem celebrandi sine Ministro necessitatē, quoties in periculo mortis Sacerdos est sumpturus viaticum, vel alteri moribundo præbiturus, nec habentur præconsecrata hostiæ, Quia præceptū diuinū recipiendi via-

642

Non habetur ex iure.

643

Ex iure habetur.

644

Primā. c. neo sententiam.

645

Absolutè licet.

646

Absolutè non licet.

647

Urgente necessitate graui censetur licere.

ticum in mortis articulo Ecclesiastico præcepto non celebrandi sine Ministro prævalet. Rursus si post incaptam Missam Minister recedat, & expectatus post moram non redeat, debet celebras solus sacrificium perficere sibi que respondere: quia maior est obligatio perficiendi sacrificium, quam non celebrandi sine Ministro. Denique inclusus in carcere propter fidem, aut patiens propter iustitiam, videtur habere sufficientem causam celebrandi sine Ministro, quoties eget solamine vel iuvamine Missæ. Sic Glossam, Nauarrum, ac Zerollam intelligo. Legendus Fagund. præc. 1. l. 3. c. 21. n. 5.

PROBL. CLIII.

Diebus Dominicis, ac Festis si Sacerdos non possit audire Missam, nec habeat Ministrum: licet ei, & non licet sine Ministro celebrare.

648
Non licet.

Non licet. Quia magis obligat præceptum adhibendi Ministrum, quam in festis, aut Dominicis Missam exaudiendi. Sic Franc. Anton. l. 1. de Missæ c. 17. Bonac. d. 4. q. ult. pun. 9. n. 34. Moure p. 3. c. 5. §. 4. n. 8. Barthol. ab Angelo dial. 5. n. 401.

649
Licet quidem.

Licet equidem ob solum adimplendum præceptum audiendi Missam quolibet die festo, sine Ministro celebrare. Quia magis obligat præceptum audiendi Missam, quam sine Ministro non celebrandi. Ita Pitigian. Graff Nuñus, Durand. Sorus, Coninch, quos sequitur Auerl. q. 11. sect. 9. Lessl. 3. p. 9. §. 3. n. 66. At Sylu. 3. p. 9. §. 3. a. 5. dicit, se sic celebrantem minime damnare. Suarius verò d. 87. sect. 1. inquit se non damnare peccati mortalis.

650
Veræque sententiam æque probabile esse reor.

Conferimus hanc sententiam sic esse probabilem, ut prima quoque probabilis sit, & utramque posse ad praxim pro libito Sacerdotis reduci. Quia præceptum audiendi Missam omnibus festis æquale saltem apparet cum præcepto non celebrandi sine Ministro. Vnde prudenter eligeret alterutrum observatio, quando utrumque impleri non potest. Scio, Martinon. rom. 4. d. 40. sect. 3. n. 36. distinxisse, asserendo, in festis solemnioribus, sine Ministro posse celebrari, secus in minus solemnibus. Sed quidem cum

præceptum audiendi Missam pariter viget in omnibus festis, maior, vel minor solemnitas parui refert reor ad licitam aut illicitam siue Ministro celebrationem.

PROBL. CLIV.

Cum adest vir, qui ministrare queat, sed nesciat respondere, aut mutus sit: viro ministrante vrceolos, v. gr. & librum mutante, samina poterit, & non poterit respondere.

Minimè poterit. Quia nimis indecorum esset, Sacerdotem dicere feminæ, *Confiteor*, Minimè poterit. Deo: & vobis fratres: & ab illa formam deprecationis accipere verbis illis, *Miseretur tui*, &c. Sic Vasq. q. 83. a. 5. in comment.

Potest planè. Quia sicut feminæ respondent ex choro cantando; possunt etiam communi voce, quando Missa priuata dicitur, respondere. Nec indecens est, quod ad feminas in confessione Sacerdos, *Ei vobis fratres*, nam de facto verbis istis non alloquitur solum viros; sed omnes adstantes: sicut dicens, *Orate fratres*, & viros, & feminas adstantes hortatur, ut exorent. Illa autem verba *Miseretur tui* solum continent deprecationem, nec apparet, cur feminæ non possint deprecari Deum pro Sacerdote, sicut de facto cum dicunt, *Et cum spiritu tuo*, deprecantur. Ita Card. de Lugo d. 20. n. 103.

Ego quidem existimo, in casu proposito, solum responsionem posse suppleri quoad confessionem etiam & reliqua omnia per feminam dum illa ad Altare non accedat, non ad presbyterium: sed ex loco remoto respondeat: sic enim & iuris præceptum seruatur, & necessitati occurratur: nec aliud ab Auctoribus concedi reor. Legi Fagundez præc. 1. 3. cap. 21. n. 3. & Henric. l. 9. c. 30. n. 1. asseruisse, à Pontifice concessum fuisse priuilegium, ut Monialis vigente necessitate, per fenestellam Altari propinquam celebranti ministret. Non tamen ostendunt, vbi nam priuilegium adsit. At dum hoc priuilegium latitat, nec de eo magis constans testimonium habemus, in praxim reduci non posse iudicamus.

LIBER